



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput I. De Actu humano voluntario & involuntario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226



TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT PRIMUM.

*De Actu Humano, Voluntario,
& Involuntario.*



Actus humanus, qui suam
sortitur bonitatem ab objecto,
circumstantiis, & fine, ex D.
Thoma 1. 2. q. 1. a. 1. in corp.
trifariam defini potest. 1. Actio
propria homini, quatenus homo
est. 2. Actio cujus homo est Dominus. 3. Actio
que procedit à voluntate hominis deliberata: Siqui-
dem Actio humana dicitur propria homini, qua-
tenus homo est, ejusque dominio subest, quia
proprium est homini agere ex voluntate delibe-
rata, & eo ipso, quo deliberatè agit, Actio est
in ejus potestate & dominio.

Differt ab actione hominis, quòd quidquid
ab homine fit, sit actio hominis, etiamsi fiat sine
voluntate deliberata, non tamen actio humana.
Sic motus primo - primi omnem rationis advet-

A

ten-

2 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

tentiam prævolantes, &c. actiones quidem hominis sunt, humanæ dici non possunt, quia non sunt hominis, quatenus homo est.

PETES I. Quotuplex esse reperitur in actu humano?

RESP. Duplex, scilicet *esse natura*, seu physicum, & *esse morale*, sive moralitas.

2. Quid est *esse physicum* actûs humani?

ꝛ. Est ipsa physica entitas actionis.

3. Quid est *morale*, sive *moralitas*?

ꝛ. Est habitudo actionis humanæ ad rectam rationem, quatenus regulis illius substat, & ab eis mensuratur, tanquam aliquid conforme, vel difforme.

4. Quotuplex est actionis *moralitas*?

ꝛ. Duplex: una *objectiva*, altera *formalis*, seu *exercitii*. Moralitas *objectiva* merè se tenet ex parte actûs, & petitur à solo objecto actûs secundùm se considerati, absque ullo ordine, aut respectu ad operantem. Hæc moralitas reperitur in actibus minimè liberis, cujusmodi sunt motus concupiscentiæ indeliberati, qui, licèt defectu libertatis in peccatum imputari non valeant, secundùm se tamen moraliter mali sunt, moralitate scilicet *objectiva*, quia ex objecto sunt difformes rectæ rationi.

Moralitas *formalis*, seu *exercitii* est illa, quæ dicit ordinem ad operantem, & consistit in habitudine agentis ad rectam rationem, quatenus conformiter, vel difformiter ad illam operatur, unde requirit libertatem in operante.

ꝛ. Quæ

5. Quæ est regula actûs humani?

R. Regula illius est *recta ratio*, seu potius lex æterna.

6. Quotupliciter potest actio humana considerari?

R. Dupliciter, secundùm suam *speciem*, & secundùm *individuum*. Consideratur secundùm *speciem*, quando nudè attenditur objectum actionis, abstrahendo à circumstantiis, in quibus exercetur, vel exerceri deberet.

Consideratur secundùm *individuum*, quando considerantur omnes circumstantiæ, in quibus hîc & nunc exercetur. Secundùm *speciem* multas reperies indifferentes, nullam in individuo.

7. Quid est voluntarium?

R. *Quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis*. Voluntarium aliud est perfectum, imperfectum aliud; perfectum est, *quod procedit à voluntate cum perfecta cognitione finis*. Imperfectum, *quod procedit à voluntate cum imperfecta cognitione finis*.

Perfecta cognitio finis consistit in eo, quando non solum apprehenditur res, quæ finis est, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio mediorum ad finem; imperfecta verò cognitio finis in hoc consistit, quando quidem cognoscitur res, quæ finis est, sed non sub ratione finis.

8. Quomodo dividitur voluntarium?

R. Aliud est directum, indirectum aliud. Directum est, *quod procedit à voluntate expresso*

4 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

actu id volente. Directè vult mortem inimici, qui in eum finem vulnus lethale ipsi infligit &c. Indirectum est, *quod licèt non procedat expresso actu id volente, moraliter tamen loquendo, seu attentis circumstantiis omnibus, prudenti hominum iudicio censetur à voluntate procedere, idcirco illi etiam imputatur.* Sic pollutio respectu ebrii scientis se esse in ebrietate lubricum, & pronum ad actus venereos, est indirectè voluntaria. Sic omnia juramèta lusoribus, qui &c.

Quæ *directè* voluntaria sunt, dicuntur voluntaria *in se, expressè, & formaliter*; quæ autem indirectè tantùm, dicuntur voluntaria *in causa, implicite, virtualiter, interpretativè.*

9. An voluntarium coincidat cum volito?

R. Neg. Ut sit voluntarium, debet à voluntate procedere; ut sit volitum, sufficit quòd voluntas sibi in eo complaceat. Sic quòd Deus conglorificetur à Sanctis, mihi est volitum, non voluntarium.

10. An possit dari voluntarium expressè nolitum?

R. Affirm. Si agatur de *nolito* ineffaciter, ut est projectio mercium in mare metu naufragii &c.

Dictum est, *si agatur de nolito ineffaciter*; quia voluntas non potest simul idem velle efficaciter, & nolle efficaciter.

11. An quotiescunque actio secundùm se licita duos habet effectus, unum bonum, & alterum malum, possit quis actionem semper licite ponere, intendendo effectum bonum, & permissivè se habendo ad malum?

R. Neg.

R. Neg. Non enim propter quodcumque bonum permitti potest quodcumque malum.

12. Quando igitur effectus ex causa positiva factus est voluntarius?

R. Effectus malus ex positiva actione profluens est indirectè voluntarius, nisi justam & urgentem habeamus causam actionem illam ponendi. Hinc Petrus advertens se pati pollutionem nocturnam, dum vesperi abundanter vinum bibit, aut calidis vescitur cibis, tenetur ab illis abstinere, si cibum alium, potumve in promptu habeat. Ut tamen effectus imputetur in culpam, necesse est, sit prævisus, aut prævideri possit, & debeat.

Si justam & urgentem quis habeat causam actionem ponendi, cui effectus malus prævidetur annexus, non imputatur in culpam. Sic medici causâ medendi quaslibet corporis visitant partes. Sic Confessarii muliercularum excipiunt confessiones, licet ex declaratione peccati veneri rebellionem patiantur carnis; cavendum tamen, ne effectus ille per curiosas interrogaciones &c. intendatur.

Colligat prudens Confessarius, cur motus carnis inordinati, quos juvenes & adolescentulæ patiuntur ex lectione historiarum lubricarum, sint peccata. Talibus addictos non absolvat Confessarius, nisi seriò proponant causam tollere.

13. Quid est involuntarium?

R. Est omne id, cui deest aliquid ex requisitis ad

6 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

rationem voluntarii. Dupliciter sumitur involuntarium: *simpliciter, & secundum quid.* Involuntarium simpliciter est, *quod omnibus consideratis est nolitum.* Sic abductio furis ad carcerem &c. involuntarium secundum quid est, *quod voluntas quidem vult, sed non vellet, si circumstantie quedam amoverentur.* Sic quando quis metu naufragii projicit merces in mare, projectio ista simpliciter est voluntaria, involuntaria tamen secundum quid, nollet enim eas abjicere, si metus naufragii abesset.

14. Quid est violentum?

R. Violentum est, *quod non fit à patiente, sed ab agente extrinseco contra inclinationem patientis, & cum renitentia efficaci ejusdem.* Hinc stuprum non censetur Virgini violentè illatum, si stupratorem clamoribus à se depellere potest. Erit tamen violentum, si non possit evadere, nisi ipsum occidendo.

Regulæ dignoscendi causam justam, propter quam possit poni actio, ex qua prævidetur secuturus effectus malus.

UT causa sit justa, & sufficiens ponendi actionem, requiritur 1. Ut actio secundum se licita sit, & honesta. Postea consideranda venit utilitas ex actione proveniens, an major, an minor, quàm malum quod timetur. 2. An certò effectus malus sequetur, an probabiliter tantum. 3. An certior sit utilitas, incertius malum, aut contra.

trà. 4. An agens speciali obligatione teneatur fructum actionis procurare, vel effectum malum arcere. 5. An utilitas actionis sine periculo illius effectûs mali nequeat aliâ viâ comparari. 6. Attendendus est modus, quo actio secundùm se bona influat in effectum malum, an directè, & ratione sui, an tantùm indirectè. Sincerè & accuratè consulenda hîc rationis super nos signatæ regula, imploranda ardentè Spiritûs S. unctio, præcipuè in Confessariis, quia si sentiant periculum consensûs &c. nisi speciali obligatione teneantur, ab audiendis similibus abstinere debent; sicut certò abstinendum est illis, qui postquam adhibuerint media notabili tempore, & tamen deprehendant se consentire in malum occasione confessionum auditarum. Ex hac doctrina maximi momenti derivantur consecutaria.

1. Prægnantibus incumbere magnam & specialem obligationem cavendi à perturbationibus animæ & corporis, quæ periculum creare possunt abortûs ob periculum summi mali, sive damnationis æternæ.

2. Majorem commoditatem hujus vel illius sitûs corporis in lecto non sufficere ad hoc, ut pollutio ex tali situ consecuta, non censeatur interpretativè voluntaria, dum alio situ absque magna difficultate quis dormire potest.

3. Puellis & fœminis indirectè voluntaria scandala, propter quæ pusilli ex fragilitate labuntur, vel ex intuitu nuditatis, vel immoderatarum ornatûs, quo & naturalem venustatem ni-

8 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

miùm exponunt, & extraneam superaddunt. Suam igitur vanitatem, ad inventitiamque, & naturalem venustatem, vel etiam nuditatem nimium exponendo, verè tentant puillos, suisque illis illecebris laqueum parant animabus ipsorum, ita ut illis applicari possit illud Isaïæ 24. *Laqueus juvenum omnes vos.* Proinde Illustriss. & Reverendiss. Antverpiensium Episcopus D. Ferdinandus præcipit omnibus sui districtus concionatoribus in sua ordinatione 24. Julii anni 1683. ut sine intermissione & personarum exceptione contra hunc abusum declamarent, præcipit omnibus Confessariis, quòd si quasdam fœminas in sede confessionali deprehenderent indecenter ornatas, graviter redarguerent, & si emendationem non viderent, tales taliter persistentes non amplius ad reconciliationis beneficium admitterent.

4. Ecclesiasticis distractiones in Horis, & tremendo Missæ sacrificio, sæcularibus mentis evagationes in Sacro obligante in causa esse voluntarias, dum vel ad orandum mentem non præparant, vel inutilibus conversationibus, confabulationibus &c. mancipati, orationi se mox accingunt: *Non enim proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Pl. 53.

5. Alienam ebrietatem indirectè voluntariam esse cautionibus, qui absque gravi detrimento suo recusare valentes vinum &c. promunt iis, quos vident ebrietati proximos, atque adeò inde inebriandos. Seriò illis invigilet Confessarius.

As-

Audiant quoque caupones illud Apost. ad Rom. 10. *Noli cibo, noli vino, &c. illum perdere, pro quo mortuus est Christus.*

6. Confessariis voluntarium indirectè effusorum pœnitentium in idem peccatum relapsum, si nimis faciles se exhibeant in imperitiendo beneficio absolutionis. Ob indulgentiorem illam praxim, quæ immisericors misericordia jure dicitur, S. Salesio teste, *perit multitudo infinita.* Testeque Bellarmino, *Non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Rigorem nimium penitens damno. Misericors Samaritanus Sacramentum pœnitentiæ non instituit, ut esset laniena animarum. Viâ mediâ tutissimus ibis. Accipite casus hanc materiam concernentes.

CASUS I.

Persona aliqua, historiarum lubricarum lectioni dedita, de nocte patitur motus inordinatos carnis &c. queritur, an hi indirectè voluntarii, & quid cum tali pœnitente agendum Confessario?

Ad 1. R. Aff. Procedunt ex causa voluntariè, & liberè posita; ergo effectus voluntarii sunt, & liberi.

Ad 2. Confessarius energicè proponat periculum latens, quod pro comperto habere debet pœnitens ex experientia. Inquirat, an in anterioribus confessionibus hujus lectionis malitiam aperuerit, vel apprehenderit: inducat efficaciter ad tollendam effectus mali causam, quòd si post promissa fidem fregerit, non absolvatur, nisi se ipsâ præstiterit.

CASUS II.

Petrus in casu necessitatis à fœneratore mutuum exigit, qui prævidetur non daturus, nisi sub usura, Paulus à sacrilego ministro Sacramentum &c. Inquiritur, an Petrus usura vitio commaculetur, & Paulus sacrilegii crimen committat?

R. Neuter peccati alieni reus est. Uterque utitur jure suo, & respectu pravæ voluntatis habet se permissivè. Idem resolvendum de eo, qui prævidetur juraturus per falsos Deos. Idem de eo, qui pejerabit, &c. juxta axioma enim theologicum: *Effectus malus ex actione positiva secutus non est voluntarius, nec imputabilis in culpam, dum justa est ratio talem actionem ponendi.*

CASUS III.

Honestæ puella ab aliquo juvene perditè amatur, is ex intuitu ipsius sibi sumit occasionem spiritualis ruine, quæritur, an hæc ad domesticum velut carcerem obligetur?

R. Neutiquam: miserrima enim foret humana conditio, si à rationalibus actionibus nos abstinere cogeret aliena malitia, quâ laqueum sibi perditionis quisquam nectit ex actione nostra bona. Ipsa Apostolicum illud usurpet: *Non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi.*

CASUS IV.

Parentes vitia suorum filiorum cognoscunt, & efficaciter non prohibent, Confessarii indulgentius agunt cum suis pœnitentibus, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, & hoc spe
com-

Commodi temporalis, quaeritur, an peccatorum alienorum reddantur participes?

R. Ad utrumque affirmativè. In primis parentes &c. quibus cura suorum filiorum incumbit particulariter in ordine in finem supernaturalem. *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minimè defenditur, opprimitur.* Cap. error, Dist. 83.

Confessarii etiam alienorum peccatorum efficiuntur participes, teste Trid. sess. 14. cap. 8. & D. Bern. serm. 40. de divers. cap. 8. *Qui, cum emendare possit, negligit, participem se procul dubio constituit.*

CASUS V.

Quidam ex eo, quòd ludant foliis pictis &c. in juramenta & blasphemias &c. prorumpunt; quaeritur, an illis à lusu abstinendum?

R. Verbis S. Francisci Salesii p. 4. cap. 6. *Quandoque vel sola tentatione nos peccati reos constitui, eò quòd eam nobis accersivimus: V. G. scio me lusu ad rabiem concitari, vel blasphemiam. Novi ad ista me lusu tentari. Toties pecco, quoties ludam, omniumque tentationum, quae in lusu contingerent, reatu gravor. Similiter, si quam conversationem noverim tentationem mihi parere, & lapsum, ingrediar tamen voluntariè conversationem illam, omnium tentationum, quibus in ea impetendus sum, reus indubitatè teneor.*